



Q. F. F. Q. I. E. I.  
**TEMPLI XENO-  
DOCHIALIS**

Ornamenta interna & quæ sunt reliqua, publi-  
cæ luci exponit,  
*insimulque*  
**ORATIONIBUS**

**Christo Neo-nato**

*facris,*  
*in*  
**Illustri Curiano**

*Die Mercurii post Calendas Anni M. DC. XCIII.*

*ab ipsis Sacris habendis,*

**PROCERUM CURIANÆ URBIS**

*Gratiam, exoptatamque Presentiam*

*sibi suisque exorat*

**M. Johann. Christoph. Weiß / Gymn. Rector.**

  
*Literis Minzletianis.*





Absoluto feliciter nunc, DEI gratiâ, annuo cursu, sol  
 stadium suum decurrendum denuò ingreditur,  
 atque ita novus simul orditur annus. Quem ut  
 faustissimo sidere illucescentem, pluribus invi-  
 dendis victoriis, gloriæ accessionibus & lætissi-  
 mis rebus auctus à tergo cum multis aliis felicissi-  
 mè ordinet *SERENISSIMUS PRINCEPS, AC DOMINUS,*  
*DOMINUS CHRISTIANUS ERNESTUS, MARGGRAVIUS*  
*BRANDENBURG. MAGDEB. &c. Patriæ Pater ac Princeps Noster*  
*Clementissimus, Sacræ Caf. Majestatis Campi Mareschallus longè Excellen-*  
*tissimus, una cum SERENISSIMA CONJUGE, utriusque sexus*  
*SOBOLE & UNIVERSA DOMO SUA; ILLUSTRISSIMUS*  
*item ejus Ministrissimus, Illustrissimus Dominus Comes JOHANNES*  
*ALBERTUS, Comes de Ronow & Biberstein Consiliorû Præses Summus,*  
*Consiliarius intimus Eminentissimus, atque Exarchus Curiaë*  
*Provincialis Gravissimus, cum omnibus Sacro æque ac politicis*  
*CONSILIARIORUM EMINENTISSIMORUM COLLEGIIS,*  
 & ministris Principatibus summis, imis; inprimis etiam *Ecclesia*  
 & *Curia* nostra fortunatum, salutaremque experiantur, est quod  
 in limine statim literarum harum à DEO ardentissimis suspiriis  
 breviter nunc quidem vovemus, prolixius autem cotidie in-  
 tra penetralia Musarum enixis precibus efflagitamus. Quo pio  
 voto præmissio, & velut in votivis tabulis, in limine Templi ulte-  
 rius delineandi, appensis, nunc ad pertexendum & absolvendum  
 opus citra ambages nos accingimus. Diximus autem in superi-  
 ori programme, tabulatum Xenodochialis Templi, Scriniario-  
 rum opere, egregiè eff: edolatum atque junctum, ita, ut citra mo-  
 tum lignearum, quæ tabulas sustinent, linearum dimoveri queat,  
 qui labor 100. florenis & ultra constitit; sequitur nunc, ut pictu-  
 ris idem sit tandem exornatum. Convenerunt nempe hac de  
 causa commemoratus supra *Præ-Nobilissimus Dominus Superintendens*  
 de



de *Waldeck* & *Senatus urbis Amplissimus*, una cum *Dn. Pastore* templi in ipso hoc sacro domicilio, & cum *Domino Heinricho Lob*, *Neylensi*, pictore imaginum nunc *Curiae* degenti peritissimo, ita de pretio picturis exornandi tabulati convenerunt, ut hic 90. Tabulas & totum adeo tabulatum, cum fenestrarum margine scienter pingeret, & pro labore & coloribus, (exceptis auri laminulis, quae Sacrum aërium comparavit,) 180. Joachimicos acciperet, Facto inde operi initio A. 1688. d. 24. Julii ex *Domini Pastoris* dispositione, quae ubique illi fuit relicta, V. T. *Historiae* dextro; N. autem T. sinistro ordinis lateri penicillo eum in modum sunt commissae, ut idcirco ex *Meriani* partim iconibus, partim *Osiandri* etiam elegantissimis *Bibliis* sumtis nonnullum hoc inter & *Laurentianum* Templum intercederet discrimen. Non silenda hic liberalium virorum aequè atque foeminarum prompta beneficentia est, quae tantum fuit collatum aëris, ut ad pingendum ambonem supremum (die obere neue Pohr) sumptus non deessent. Admotâ igitur ultimâ d. 20. Augusti Anno 1689. à pictore manu, saepius laudatus Plurimum *Rev. Dominus Pastor* rei momenta Germanico versiculo, parieti meridionali adscripto, his quidem verbis complexus est:

Als angefertigtes Jahr ward diese Deck gemahlet/  
 Hat jedes Tafel-Bild / die milde Hand bezahlet  
 Der Unbenamten hier. Zwen Thaler war der Preis.  
 Der Danck sey G D Z E und Dem (a) dann auch des  
 Mahlers Fleiß.

(a) Der aus milder Hand contribuiret, und eine Tafel mahlen lassen.

Tandem ne pluviarum niviumque resolutarum destillatione vitium contraheret aliquando Tabulatum nitidissimum, pavimentum quod supra id est, iungi arctissime eodem anno curavit Praefectus *Xenodochii* modernus Spectatissimus pariter & Providentissimus, cavere omnino potest: quod munimentum tanto necessarium est magis, quanto certius erat damnum, cujus vis ante ex



stulicidio templum jam afflixerat sæpenumerò. Hinc eodem  
annò insignia Serenissimi Principis nostri, cui DEUS vitam  
Triumphos indulgeat! in pariete septentrionali fulserunt pi-  
eta, pro quo labore pictor 4. Joachimicos, præmium accepit.

Oculos inde ad Ambones, seu, ut vocant alii, exedras dum  
flectimus, supremus illorum, post exaltatos muros, condit' denuò  
est Anno 1685. & pictus sumtibus piè liberalium Anno 1689. refert  
Historiam Passionis affabrè satis delineatam. Inferiores hinc  
ambones si perlustremus, in Exarchali, de quo supra dictum, nihil  
immutatum novimus, de Wildensteinio autem, cujus insigne ge-  
rit, ejusque fratre, alibi commodior dicendi redibit occasio. Nec  
adeò multa in opposito huic ambone, quem à magistratu occu-  
pante vocant. Die Herren: Pohr / immutata novimus, nisi  
quod Anno 1680. parvulo ambone, supra scalas, fuerit auctus &  
cum altera longiori exedra seu ambone A. 1675. picturis illumina-  
tus, quorum ille Christum cum 4. Evangelistis & 12. Apostolis,  
hic varias à Christo sanatorum effigies atque exempla exhibet,  
cui subsunt scil. pauperum ipsorum sedilia. Superest Chorus musi-  
cus, qui Anno 1557. satis exiguus atque angustus quidem erigeba-  
tur, Anno 1679. autem in eam altitudinem & amplitudinem ex-  
crevit, ut translato in Gymnasium veteri, & ab Abrahamo Neu-  
dinger / Ludimoderatore lusco, donato Ecclesiæ organo pnevma-  
tico, novus nunc Chorus altitudine ceteris respondeat amboni-  
bus, & novo organo satis patentem dederit locum. Ad hoc  
verò comparandum in Curia urbis à Domino Superintend. W al-  
thero beatæ memoriæ & Patribus conscriptis ea de re deliberatum &  
Anno 1670. d. 11. Octobris cum Domino Severino Holbeck Ctesibio  
velut altero s. Archimede Cygneo peritissimo, tum reparandi Mi-  
chaelitani hic commoranti, conventum ita est, ut hic acceptis 125.  
Joachimicis, in superiori Xenodochii contignatione opus illud  
conficeret, quòd & Anno sequenti absolvit & d. 27. Februar. in lo-  
cum veteris, quod sua soni exilitate, foedam inter cantiones disso-  
nan-



nantiam dederat, repositum & die Visitationis Mariæ, q̄vo Eu-  
 charisticam Dominus Pastor & velut inauguralem organi novi  
 habuit concionem, auditum publicè primùm fuit. Organici  
 tunc partes Ludimoderatori ad D. Laurent: sunt commissæ præ-  
 miumq̄ve destinati 5. Floreni ; cujus viccs hodie Alumnus  
 quidam artis tractandi organa haud imperitus sustinet, cuj & præ-  
 tium laboris ex redditibus Xenodochialibus à Præfecto ejusdem  
 ritè exsolvitur. Pictoris manus Anno 1689. admota fuit, cuj pro  
 pingendo choro atq̄ve ambone supremo 80. Joachimici dati sunt,  
 quoniam & auri lamina suis ille comparavit sumtibus. Appa-  
 rent in hoc velut in chorea variis instructi instrumentis musicis  
 Angeli, quibus in fronte chori junctus est David cum verbis Psal-  
 mi 150. Lobet den **HERREN** in seinen Heiligthum **IC.** quæ icon  
 lignea, uti nunc est, sculpta atq̄ve picta 6. Joachimicis constat.

Inter ea, quæ pavimento infimo insident antiquissimum  
 jure habetur altare, cujus basin lapideam erigi curavit Herdegen  
 Schuttfeld/qui factis impensis 350. pondo obulorum, seu 1400.  
 Joachimicorum Præmissarium suis sumtibus aluit, qui quotidie  
 missas faciat, zu Trost und Hülff der Herrschafft und seiner selbst/  
 und aller ihrer Vorderer und Nachkömmling Seelen/ auch zu  
 Trost der Seelen/die allda rasten/und aller Glaubigen und ver-  
 gessenen Seelen **IC.** ut verba habent foundationis, ex Scheda  
 quadam ad Heinrico Seniore & Juniore, & Heinrico filio Seniore  
 Advocatorum de Weida A. 1530. data, à Widemanno cum pluri-  
 bus aliis adducta p. 66. Putabant nempe missarum beneficio ani-  
 mas citius è purgatorio liberari & in vitam beatam traduci, quod  
 clarè literæ Eberhardi Gvardiani Franciscanorum loqvuntur A.  
 1351. perscripte inter alia hæc continent: Ob ihre Seele in eini-  
 gerley Pein wâren oder noch können solten/das sie **GOTT** desto  
 eher daraus geruhet zu erlösen **IC.** Opietatem, sed præposte-  
 ram & parum sic proficuum ! ignorat enim Scriptura alia post  
 hanc vitam, præter Coelum atq̄ve infernum, loca. Vido Purga-



torium exustum *Beati Scherzeri* egregiè idem demonstrans. Ligneae autem machina, quæ præter tres *mulierum icones, nativitatem Christi, circumcissionem ejusdem & Magorum*  $\pi\rho\sigma\kappa\acute{\upsilon}\nu\eta\sigma\iota\nu$  refert sculpta, initiò hic non stetit, sed ex Capellâ ad sanctum Michaëlem primâ, ubi vitrum fenestræ nunc mutilatum quidem, easdem historias exhibet, huc est translata, Confer supra pag. 146. Reliqua, quæ ex Legendis aureis scilicet! ei sunt appicta, ut fabulosa & nugas non tanti habemus, ut prolixè recensendis iis diutius immoremur; nec, quid Literæ M. H. ornamentis insculptæ & annus tausend/fünff hundred und einff Jahr / circa basin adscriptus, sibi velint, satis liquet, nisi fortè hoc posterius initia machinæ prodar. Clathrum ligneum, quod altaris tegumenta, & adstantem sacerdotem à canum immundicie præstat immunem, circumdusi coepit Anno 1675.

Altare excipit suggestus qui Anno 1565. denuò extructus est, ita enim in dextro ejus latere scriptum legimus: Anno 1640. In October, als M. Paulus Reinelius Hospital-Prediger swar/ ist durch Gutmildigkeit Wolff Friedel und etlicher Zuhörer dieser Predig-Stul renovirt worden/durch N. Richter. M. alhier von neuenerbaut Anno 1655. Operculum verò novum à supra laudato Domino Johanne Herold, Scriniario haud incelebri, & Tyrone ejus, Johanne Nicolao Knoll, homine ad sculpturam nato, qui naturæ ductu tantum sine magistro profecerat, ut omnes icones operis hujus, ad præscriptum Domini Pastoris, fabricaret, Anno 1692. die 25. Novembris est erectum & constat 37. Thaleris. Icones à sinistra parté Aaronem & Mosen, ad erectum in apice operis, serpentem ligneum, (quem inferius alii serpentes velut circum fremunt) respicientem & baculum velut intendentem representant; Dextrum verò latus, cum Paulò Apostolo, Johannem Baptistam digitum in crucem haut ita procul erectam, (quæ his insignita est: *Inter Brachia Salvatoris mei vivere & mori cupio,* Renovirt Anno 1679. H. C. Maurer Burger und Lohgerber) in-



tendentem refert; Quibus medium interponendum dictum: Gleichwie Moses in der Wüsten etc. Johann. III. 14. scuto velue inscriptum & ab Angelo in fronte operculi oblatum, ingeniosè explicationem addit. Totam denique molem duo Angeli sustinent, altera manu operculum, altera candelas ardentis tenentes & oratori sacro facem velut præferentes.

Superfunt sedilia in plano reliqua, quæ Anno 1687. exceptis pauperum scamnis, denuò sunt condita, & in justum ordinem redacta, aliquantum etiam aucta; picta autem universim omnia Anno 1691. à Georgio Horn/triginta duobus florenis eidem ex ærario sacro solutis.

Tandem cippi breviter adjiciendi sunt. Primi autem horum duo, qui è via Regia in templum intranti se offerunt sunt celeberrima familia Schultheisiorum, Nicolai scilicet Schultheisii, qui A 1550. d. 2. Martii obiit, & Wolfgangi Schultheisi Xenodochii Præsecti meritisimi, quem cum servatore, pauperes & ægrotos visitantem egregie sistit, in effigie tabula super portam templi affixa. Quæ & propterea notatu digna est, quod faciem Xenodochii antiquam & suburbii simul refert à moderna structura, nonnihil differentem. Verba Epitaphii adjecta cæterum ita habent: Anno 1556. den XXII. Septembris ist in Gott verschieden der Erbar und Achtbar Wolff Schulthes Spital-Meister zum Hof/ dem Gott eine fröhliche Auferstehung in Christo verleibe Amen. Anno 1541. den IVten Tag Aprilis. ist die Erbare und Tugendfame Margaretha/Wolffen Schultheisen seelige Hauß-Frau in dem Herrn entschlaffen/der sie zu dem ewigen Leben erwecke! Amen. Quem admodum igitur insignis hujus viri pietas in aprico excubat; ita jungi eidem voluit Wolff Schultheis, nepos ejusdem pientissimus, qui obiit Anno 1595. d. 8. Februarii ætatis anno 68. Nec dubium est, quin posteritas, quæ de hoc stemmate agit superstes, benedictionem, à tam piis majoribus propriam sibi, perpetuamque habeat. Hanc ita procul & ante suggestum Georgii Oberlanderii



conduntur ossa, quæ qualisnam fuerit, monumentum à Johanne Hegenbergero pictum, & ab uxore ejus circa introitum è Xenodochio in templum affixum, abundè loquitur. Juvat id integrum huc ponere, ut subjunctæ figuræ paradisi, in qua cum familiâ suâ adorat crucifixum, literæ id ipsum produnt: *Insigni Pietate, Virtute, & Prudentia Excellenti Viro Georgio Oberlendero, Xenodochii sum præfecto fidelissimo, qui piè ex hac vita discessit Anno Christi M D LXXII. Calend. Martii Etatis suæ XL. Conjunx mæsta. H. M. P.*

*Hæc ego sacrata requiesco Georgius Adæ,  
A supera nomen cui Regione venit.*

*Maens mea, quem verò pietatis amore colebat,  
Conspicit æterni lucida Tempora DEI:*

*Nam Christi merito statuit rediisse salutem,  
Quæ fuerat lapsu perditæ Adamæ, tuo.*

*Stirpe satus celebri virtutum semina habebam,  
Ingeniū & multis dotibus auctus eram.*

*Pralucente fide, ratio quæ poscit & æquum,  
Perstabam officiis sponte volensq; meis.*

*Et quæcumq; forent rebus communibus usu,  
Hæc facere in primis provida cura fuit.*

*Lustra, sed egi octo, quando hæc me luce peremptum  
Mors vocat, ipsa tamen nunc mihi facta quies.*

*Nomina quid profunt, quid opes, fortuna, quid ætas,  
Invida si nulli parcere mors didicit?*

*Disce mori, atq; piè præsentibus utere rebus,  
Hoc ego, qui nunc sum, tu potes esse brevi.*

Plura quæ cupit, conferat supra pag. 211. quæ singularis ejus, in Musas etiam, amor, non sine laude memoratur. Interim nota hic, lustrum pro quinquennio sumi, ut idem facit Ovidius, licet sint, quæ perperam id fieri exinde asserunt, quòd ultimus semper numerando in lustris primus iterum sit. Videatur Scaliger. Coram alteri tres offendimus Cippos. Dextri ille lateris est uxoris Heinrichi Schutfeldt,



felicitate, ita enim inscriptio habet: Anno Domini M. CCCC. XXVII die  
 sancti Augustini obiit honorabilis Domina Anna de Weischdorff uxor Hein-  
 rich Schurfeldt. Proximus, qui huic jungitur, lapis his literis est in-  
 scriptus: Anno Domini M. CCCC. IX. Feria quinta, Pater obiit honora-  
 tissimus Dominus Udalricus Han, Premisarius hujus Ecclesie, cujus a-  
 nima requiescat in pace. Tertius incognitus planè est, & benè ve-  
 tus nec fortè alius, quam ipsius Heinrich Schurfeld, aut Domini Thomæ  
 Motbelii, qui ex Monacho pastor urbis factus in cœlibatu Sacer-  
 dotio diu functus est, tandè officio ob senii infirmitates relicto, in  
 Xenodochio alimenta, donatâ eidem æris summâ, sibi compara-  
 vit 1562. & brevi ante obitum (decesit autem A. 1564. d. 15. Octo-  
 bris) opes suas pauperibus, Bibliothecam verò, quamquâ ab Har-  
 pyis mutilatam Widemanno nostro legavit, pro quâ beneficen-  
 tia hic duplex illi Epitaphium concinnavit, oppositum quidem  
 primum virulento, ut scribis ipse, M. Hartungi Tischeri carmini-  
 sum publicè excuso:

*Turpis Hyæna solet mandata cadavera terra  
 Eructò, & fœdis dilacerare modis.  
 At nos, judicio mentis meliore valentes,  
 Manibus innocuis solvere justa decet.  
 Ergo refer nostro funebria carmina Thoma;  
 Pro meritis grates, mæsta Thalia, refer.  
 Namq; ipsi semper commissum pascere cœcum,  
 Verbum & salvificum tradere, cura fuit,  
 Cura fuit cunctis studio prodesse fideli,  
 Assiduè, & pura fidere mente DEO.  
 Donec, ut emeritus, senio confectus & annis,  
 Miles, non potuit munus obire suum.  
 Sed semen & Christum, rude jam donatus, amavit,  
 Perpendens animò fata futura suo.  
 Nunc, postquam Lachesis fatalia stamina rupit,  
 Svariter in Christo vivis amande senex.*

N n

Coro



Corpus humo, mentemq; Deo, bona cetera linguis  
Pauperibus. Porrò vive, quiesce, VALE.

Alterum virtutes illius carptim tradit:

Candida cum Christo est tua mens, Venerande MOTHELLI,  
Condita sub putri cespite membra jacent,  
In Te non fucus, non duplex lingua latebat:  
Exemplum antiquae simplicitatis eras,  
Suavis eras veterum sermone, ac nitilis ore;  
Nec maledicta unquam lingua modesta dabat.  
Hoc, quocumq; boni superant, restantur, & ornant  
Funere te mersum laudibus ingenius,  
Ergò nunc meritò lugent juvenosq; senesq;  
Es lachrymas fundunt ad tua busta pias.  
Quod superest, Christo vivas solatia nactus:  
Sed tua defuncti moliter ossa cubent.

Seqvitur Epitaphium, quod ipse Thomas Mothelius ante obitum  
sibi composuit, Bibliisqve suis Germanicis inseruit. Voculis  
autem nonnullis, ad leges metricas, paulum à Widem, mutatis:

Floruit hic quondam Viv notus, nomine dictus  
THOMAS MOTHELLIUS, debilis ipse senex,  
Vivus, qui populo tradebat dogmata CHRISTI,  
Verbi & divini verus amator erat,  
Alto ac jam tumulo clausum tenet Hospita TELLUS,  
Clare expectantem jubila leta tube.

Idem Germanicè sic reddidit:

Vorzeiten lebt ein Mann/genannt  
Thomas Mothel gang wohl bekant/  
Welcher allhie in dieser Stadt  
Gottes Wort viel Jahr gelehret hat;  
Ist aber Ihn die Erd bedeckt/  
So lang bis Jhn Christus erweckt.

Hic ille ipse fuit, qui clandestinos Monachorum cum moniali-  
bus conventus, de quibus supra dictum evulgavit & Chronico  
nostro pluribus enarravit.

Cæterum in templò hóc conduntur tres Wunscholdi, Wolff-  
gan-





gangus Wunschold Xenodochi Præfectus, cum duobus filiis, Petro successore suo, & Wolffgango Senatore, quorum ille Die sexto Julii, hic vero d. 19. Aprilis A. 1587. diem suum obierunt. Ultimus cippus, qui ad portam, quâ versus hortum patet aditus, est Johannis Wagneri, Parentis fortè Johannis Wagneri, qui A. 1538. pauperibus Xenodochii pratum quoddam (die Kugelwiesen genant) dedit dono, ea lege, ut de redditibus hisce Xenodochii præfecto nihil sit negotii, ceu literæ communitati pauperum concessæ luculenter id testantur. Verba lapidi inserta hæc olim prodebant. 8

Anno 1462. obiit Johannes Wagner, die sanctæ Julianæ Virginis, sepultus in templo Xenodochii nostri. Ibidem & Johannes Heller Pastor Templi, qui d. 7. Martii A. 1597. ætatis anno 76. obiit, sepultus est & alii fortè plures, quorum cippi subselliis teguntur. De 14. opitulorum Templo, quod attendendum restat, admodum parum est: Quatuordecim enim illi sanctuli non sancti, partim etiam utopici ex supra allegatis aureis legendis satis noti sunt & recensiti jamjam pag. 75 Nec constat de altaris illius conditore, cui imago Mariæ Virginis nunc insistit aurò valde pretiosa, quod ni fallit conjectura, antehac ornamentum supra commemorati altaris erat, & Schutfeldii ære fuit comparatum. Præterea nihil notamus ibi, quam sequentes parieti inscriptos & ut conjectura est, à M. Paulo Reinelio conscriptos versus, quibus Pastores à reformationis tempore continentur;

Herr Engelhardtus / und Herr Strauß /  
 Bachmann : Grünauer und Herr Krauß /  
 Dobs : Saher und Herr Lodemann :  
 Fischer : Heller : Werner : Fleischmann /  
 Waren im Spital Prediger  
 Eh Paulus Reinel kam hieher.

Quibus Anno 1674. à Domino Mayero. sequentes sunt additi :

Dann Riffner : Nach ihm aus der Schul  
 Trat Meyer auf den Predigstul.

Quæ cæterum de imaguncula quadam è muro, versus viam Regiam, circa juncturam majoris minorisque Templi, tradunt, signi scilicet loco esse positam aquarum, ex nubium ruptura eo usque ascendentium, famæ acceptum.



1286  
perum referimus, & quia nullis aliis nititur fundamentis Benevoli Lectoris  
iudicio & incertitudini suæ totam rem tamdiu relinquimus, quamdiu cer-  
tiora ea de re non habemus.

Id certò certius novimus, nos præter lapsò hoc annuo spatio, magnam  
beneficiorum divinorum sensisse, ut in loquar, inundationem & propter  
eâ supremo Numini immortales debere grates. Hâsq; ut sub novi anni au-  
spicium quodammodo persolvamus in orchestra oratoria cras, volente  
Deo, ritè se fistent Oratores quatuor, anni hujus peculiaria quædam facta  
prædicaturi, & in initio quidem:

**JOHANNES NICOLAUS Schöpff** / *Curienfis, Oratoris Cœlestis tuebitur  
partes, sub Angeli namque persona natiuitatem Seruatoris annuntiabit, &  
ad gaudium omnes creaturas, vel mutas quoque, concitabit Oratione Lati-  
tina illigata.* Alter


**JOHANNES REINELIUS**, *Selbensis, sub Neptuni personâ victoriam nava-  
lem aduersus Gallos ab Anglis & Batavis obtentam orbi Christiano gratu-  
labitur & ad gratias DEO agendas Germaniam hortabitur. Tertius verò*

**JOSEPHUS ADAMUS PLOSIUS**, *Leng. Var. Martem referens vindictam,  
à Germanis in Delphinatu exercitam, delineabit. Ultimus denique*

**JOHANNES ADAMUS HOFFMANNUS**, *Tieffengrünâ Variscus, Mer-  
curii nomine DEO persoluet gratias, quod depressis hostibus fortuna aduer-  
se in patriam nihil prorsus licuerit, & ad simile studium Germanos inuitabit.*

Quos Juvenes cum prævia ego Oratione, de *Gymnasio Epico Carmine con-  
scripta, sim introducturus, & patriæ simul ominaturus benè, ut actum  
hunc præsentia sua splendidissima atq; perhonorifica condecorare ne  
graventur, SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI NUTRI-  
CIIQUE CLEMENTISSIMI Consiliorum Præses Summus, Consiliarius  
Intimus Eminentissimus, Exarchus Provincialis Curia Gravisissimus, Illu-  
strissimus Comes ac Dominus, DN. JOHANNES ALBERTUS, Comes de  
RONOV & BIEBERSTEIN, Dominus in Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau,  
Dominus noster multum Gratosissimus; Nec non Viri Maximè Reveren-  
dus ac Præ-Nobilissimus Dominus JOSEPHUS FRIDERICUS de WAL-  
DECK, Hæreditarius in Culmiz & Dœbra-Stœcken &c. Pastor Primarius &  
incorporatarum Ecclesiarum Superintendens, Gymnasii item Inspector  
dignissimus, cum Reverendo plurimum Ministerio; Nobilissimi, Excellen-  
tissimiq; Physicus Ordinarius, Adj. & Medici; Consultiss. Domini Officia-  
les; Urbis Senatus Prudentissimus, Spectatissimusque Gymnasii nostri Pa-  
tronus & Scholarchæ; nec non Honoratissimi Domini Collegæ, Præ-Exi-  
mii ac Clarissimi Domini Studiosi, omnesq; Literarum Patroni & fautores,  
ea, quæ par est, devotione, & humanitate obnixè rogo, P. P. d. 3. Jan. 1693.*







M. Joha  
PRO  
Di  
Ch  
Ornam  
TEN

23  
NO.  
liqva, publi-  
nato  
XCIII.  
URBIS  
mn. Rector.

